



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Reverendissimo, Et Celsissimo S. R. I. Principi, Ac Domino, Domino Joanni Christophoro Augustano Episcopo Principi, Ac Domino Suo Clementissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

REVERENDISSIMO, ET CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI,
AC DOMINO, DOMINO
JOANNI
CHRISTOPHORO
AUGUSTANO EPISCOPO
PRINCIPI, AC DOMINO
SVO CLEMENTISSIMO.



Ncomiaften haud iniquum egerit, qui Jus Canonicum id esse dixerit Ecclesiae toti, quod Sol est universis terris, *Reverendissime, & Celsissime Princeps, ac Domine, Domine Clementissime*: noctem enim ambo eliminant, ambo accendunt diem, luce recreant ambo, formamque rebus inducunt, & decorem. Est insuper Astri felicissimi labor ille non amandus minus, quam admirandus, quo perenni motus circulo, post tot viarum divortia, iterum, iterumque novus oritur, & renidet, novaque nobis dies accendit, nova tempora, & velut novam terris scenam inducit. At non minus & sacri Canones eandem nobis exhibent solertiam: & ipsi novos ortus saepius meditantur; & ipsi saepius ex Doctorum Musæo, velut ex quodam laborum Oceano, novo splendore emergunt. Testantur hoc tot Coenobites, quotquot post adoratam Romam, de Sacratissimis Pontificum Sanctionibus prodierunt. Afulsit & Academiae Tuæ Dilinganæ *Reverendissime, & Celsissime Princeps* hoc Jubar, sedemque fixit nobilem, ex qua radios quaquam versus latè circumferret. Hinc quoque jam saepius Canonicus hic Sol oritur, novam faciem indutus, idem cum sit, novum tamen se exhibet, recentioresque splendores profundit: qui cum omnes *Tua Illustrissima Celsitudini* famulenter primam tamen in hoc industriam P. Paulus Laymannus p. m. exhibuit; cui, tanquam Venerando meo Antecessori primas lubens partes concessi: nunc autem, ut ordine docendi, sic & dedicandi, praecuntem sequens, Tomum secundum

OMISSA EPISTOLA DEDICATORIA.

dum elucubrationum mearum in Sacros Canones, *Eiusdem Reverendissima Celsitudinis Tuæ Clementissimo Patrocinio*, non tam meo, quàm totius Collegii, quod incolò, nomine demississimè dico, dedico, consecro; spe non modicà fretus, impensi pro Bono publico laboris mei partum hunc secundum *Celsitudini Tuæ* vel ex eo capite non displiciturum, quòd is novâ quadam, & perutili methodo copiosè pertractet universam de Judiciis materiam Libri secundi Decretalium; quæ gemino Foro, Ecclesiastico & Civili, servit, facémque præfert: cuius lucem etsi Summorum Pontificum osiores, caligantium instar vespertilionum, ferant iniquiùs, & averfentur; defæciores tamen, unà cum *Reverendissima Celsitudine Tuâ*, velut Aquilarum, altiora sapientium, oculi benigniùs, & suaviùs intuentur. Imò sunt ex ipsis heterodoxis, Pontificiarum Sanctionum alioquin non magnis amicis, qui Sidus hoc tam Illustre studiosè contemplantur, laudent, & admirentur. Audiamus unum eorum inter Iurisperitos celebrem Arnoldum Corvinum, qui in suis Juris Canonici Aphorismis pauca ad Lectorem præfatus *Non sum ignarus*, ait, *miraturos multos, maximè eos, qui à Fide Romana recessere (inter quos sum natus, educatus, studiis imbutus) quid me moverit Jus Canonicum in compendium redigere.* & ut adimat admirationero, non multis tergiversatur, sed confitetur apertè, dicitque: *Scio, Iudiciorum ordinem, & stylum, quo hodièque ferè utimur, nos maximam sui partem, Isti Iuri debere.* Et mox: *Accedit, quòd illud neque origine, neque rerum, questionum, & decisionum magnificentia, dignitate, gravitate, utilitate, & necessitate, neque ordinis elegantia, Iuri Civili sit postponendum, imò in multis ei præferendum.* Quippe solâ æquitate nitens, in multis Iuris Civilis scrupulosas subtilitates, & observationes rigidas temperat, emendat, corrigit. Præterea Ius Civile est maximè ex ethnicorum legibus; Canonicum partim ex Sanctorum Patrum scriptis, & veterum Conciliorum Canonibus, partim Rescriptis Pontificum Romanorum compilatum. Hæc ille. Cui addendum: *& ex autoritatibus veteris, & novi Testamenti; ex quibus processerunt Canonica Sanctiones:* ut testatur Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi relato in c. Qualiter; 24. de Accusationibus. Nominatus autem paulo antè Corvinus aliquantò post subiungit: *Proinde, quisquis cum utilitate hodie in Foro nostro versari cupit, utriusque Iuris, Canonici & Civilis, cognitionem coniungere debet.* Rursúmque interposito intervallo, *Quàm turpe sit*, ait, *Ius, ex cuius cognitione tanta utilitas hauriri potest, & cuius titulo gaudemus, ignorare, nemo non videt.* Et huius quidem splendori veritatis accedet facile, quisquis non sponte caligat, obtusumque lumini palpum fovet studiosè, dum tenebras diligit, & noctis umbilicum, veluti meridianum splendorem adorat. Sed scilicet *Iura vigilantibus, non dormientibus scripta sunt.* l. Pupillus. 24. in fine. ff. *Quæ in fraudem credit.* Quamobrem *Tuâ quoque Reverendissime, & Celsissime Princeps eminens*

per

EPISTOLA DEDICATORIA.

per universam Diocesim Augustanam Vigilantia, ac Providentia Luminis huius decore magnopere delectatur, & nobilissimam Sacrorum Canonum Scientiam, Scholamque publicam, à Reverendissimis, & Celsissimis Antecessoribus in Dilinganum hoc Lyceum, annis abhinc quinquaginta laudatissime introductam, opportunis continuò mediis clementissime conservare, protegere, fovereque pergit. Quidquid igitur doctrinæ tam hoc, quàm aliis, meorum conatuum editis, edendisque voluminibus comprehensæ sparsum ubique locorum, cum optato fructu fuerit, ac dilatatum, id omne simul in Reverendissima Celsitudinis Tuæ Favores peculiare, & copiosos Gratiarum Radios, quibus Universitatem Tuam Dilinganam, cum minimæ Societatis nostræ Collegio, Clementissime semper complecteris, abunde redundabit. Magnus autem PATER LUMINVM Eidem Reverendissima Celsitudini Tuæ perenniter Donorum Cælestium Splendoribus affulgeat, & ex meo, communique Collegii Dilingani voto diu salvam incolunitatem, & prosperum in plures annos Regimen Potenti suâ Dexterâ conservet. Dilingæ, in felicissima Re-surgenti CHRISTI memoria, Paschaliq; gaudio. 14. Aprilis. Anno Domini 1675.

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Servus obstrictissimus

ERNRICVS PIRHING
SOC. JESV.